





1680.

1. D'antel, Johannes Martinius: De matris publicis  
2. Meier, Jakobus Hermann: De cavalcatae vasilla-  
liae aestimatione.  
3. Stocken, Jakobus von: Disputatio de cantatas  
caecopollianas.

4<sup>o</sup> et Trier, Jak. Fridericus: De iure condonii? 2 Exempl.  
1680 - 1748.

5<sup>a</sup> et Wurz, Franciscus Fridericus: De bonis coniugum  
et iustis et durante matrimonio acquisitiis  
2 Exempl. 1680 - 1724.

6. Lenigrarius, Jak. Tochimius: Symbolum bani praecepis  
, priuilegia et iustitia

1681.

1. Bach, Ernestus Fridericus: De iure burgorum.  
2<sup>o</sup> et Orth, Georgius Fridericus: De facultatibus ultimi anni.  
2 Exempl.
3. Tech, Johannes David: Ex inhabilitatis urbium materia pos-  
tiones de promptu.

1681.

¶ Zentigratus, Ab. Fractius: *De summa fulis*

1682.

1. Artipius, Ab. Cis. Triplius: *De poena strictionis, quam  
paena, occasione 1.385. de poena.*

2. Backnius, Isham: *De remun. hyst. filiam  
Illustrium*

3. Hobes, Wolffgang Philipp: *Mangaric et per mangarii*

4. Brechtin, Ulrich: *Praeensis: De conjugant' pressati  
et publicis juris studiis, duabus orationibus compre  
hensia*

5. Brechtin, Ulrich: *Panegyrica Ludovico XVI, Galliarum  
et Navarræ regi . . . nominem min. bayen tostensis.*

6. - Brechtin, Ulrich: *De circumscriptione in contractibus  
lister. [Reh] Joann. Aug. Bruns Claudio le Labourer.*

7. Rebhan, Romes: *Conjecturam juris fidelis disputatio II*

1682.

8. Schreyer, Paulus: De interventione fortis in dictio  
9. Schreyer, Petrus: De necessitate rite duello.  
10. Schreyer, Petrus: De mitigatione pauperum

11. Schreyer, Petrus: De compositione amicabilis

1683.

1. Christ, Johannes Sebastianus: De joco

2. Hofmann, Johannes Fridericus: De communientibus &c. d.  
qui iuss q. 1. de reb. dub.

3. Kulpis, Ioh. Georgius: De analogia juris. Oratio. in ang.

4. Schreyer, Petrus: De scismis ecclesiasticis

1684.

1. Flach, Ioh. Fridericus: De moto civili

2. Harnasbergerus, Ioh. Fridericus: Fortis pauperalis

3. Lacord, Iohannes Fridericus: De figura etia actione  
directa ejusque praescriptione

4. Dersinger, Ioh. Fridericus: De xenies

1689

5. Zentgratius, Iohann Frischmire: De co, quod fit  
in prandio legis ad Eust. II. T. 16. 20

1. longiora et rursum  
2. longiora et rursum  
3. longiora et rursum  
4. longiora et rursum  
5. longiora et rursum  
6. longiora et rursum  
7. longiora et rursum





REPUTA TIONE MAGNIFICIS  
TUS  
MUTUO LIBERO.

Münden- und Münsterungen  
der Königl.

AN HABE ANKUESTE GRATIA  
EX DECRETO ET AU-  
TORETATE MAGNIFICIS AMPLIS  
ET ADOCTORUM ET COTORUM DIGNITATIS  
PER ALIAS AFRICAS UNDERNALIS

PRO

LICENTIA

que jure sive legge  
et consuetudine

JOHANNI FRIDERICO SPOERL, Argent.  
et eius filio Johanni Friderico SPOERL,

LEIPZIGI PRESTI,

JOHANNI FRIDERICI SPOERL.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS IURIDICA  
DE  
**IVRE CONDOMINII,**  
GERMANIS: 1680, 46  
Von dem Recht der Mitherrschaft und desselben Genius-  
ses / sowol bey denen die Geistlichen angehenden als auch  
in allen andern politischen Vorsassenheiten. 5  
QVAM  
IN CELEB. UNIVERSITATE ARGENTORATENSI  
PRO  
DIGNITATE DOCTORALI  
OBTINENDA  
DIE MENS. AVG. A. CIOIDCLXXX.  
PUBLICAE DISQVISITIONI SUBIICIT  
**IO. FRIDERICVS TRIER,**  
MEININGA - HENNEBERGICVS.



IENAE,  
REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1748.

LIBRARIATATIS IMPERIALEIS LIBRARIAC

LIBRARY OF THE  
EMPEROR'S LIBRARIES

LIBRARIATATIS IMPERIALEIS LIBRARIAC



I. N. D. N. I. C.

## DE IVRE CONDOMINII.

### I.

**C**ondominii vocabulum, eo significatu,  
quo hodie in usu est, apud veteres le-  
gisse, me non memini. Medio La-  
tinitatis eto invaluit in chartis & instrumentis con-  
tractuum, testamentorum, sententiarumque ju-  
dicialium: Licet non sine corruptione varia & ab-  
usu. Apud Carolum du Fresne in Glossario pro-  
ducuntur ex variis monumentis, *Condamina*, *Con-  
domina*, *Condemina*, *Conduma*, *Contaminia*, *Con-  
taminea*, atque inde *agri condominati*. In re-  
centioribus vero controversiis & tractatibus aliis  
jam plane solenne est *Condominii* & *Condomino-*

A 2

rum

rum nomen. Germanice reddunt Mitherrschafft,  
Mitherren, Gemeine Herrschaft, Gemeinschafft.

II. *Societas & Communio* è Jure communi proxime accedunt ad Condominium notandum: si tamen præcise sumantur, non idem plane significant. Possunt enim socii esse, qui condomini non sunt; & vicissim non omne condominium descendit ex societate proprie ita dicta. §. Item si 3. *J. de Obl. que quas. ex contr. nasc. l. ut sit pro Socio:* 31. ff. *pro soc. neque statim ibi condominium, ubi communio est: è contrario autem condominium sèpe latius hodie sumitur, eoque extenditur, quo communio strictè sumta extendi non potest. vid.* l. *per hoc judicium. 4. pr. ff. comm. dvo.*

III. *Consortium & consertes* vario significatu occurunt: sed nullus condomini vim satis valide vel satis distincte expiimit. Prisco Jure Romano, *consortium heretò non cito*, dicebatur de consortibus hæreditatis, qui in societate & communione bonorum manebant, hæreditatem defuncti pro indivito inter se possidentes & frumentos. Societatem Pythagorice Familiaè huic hæredum consortio Gellius comparat No&7. Att. Lib. 1. cap. 9. Sed id quoque non pratereundum est, quod omnes simul, qui à Pythagora in cohortem illam disciplinaram

rum receperant, quod quisque familie, pecuniae  
 que habebat, in medium dabant; Et cobatur socie-  
 tas inseparabilis tanquam illud fuerit antiquum con-  
 sortium, quod jure atque verbo Romano appellaba-  
 tur, HERCTO NON CITO. Ad quem lo-  
 cum videndus est Salmasius in Exert. Plinian. pag.  
 1262. ubi inter alia: Consortes, inquit, diceban-  
 tur, quandiu hereditas divisa non erat. Glossæ:  
 Consortes, κονσότες, οὐγλωτοι, inde & consortium haec  
 societas & communio coheredum. In jure Justiniani  
 obvii sunt consortes ejusdem litis t. t. C. de  
 consort. ejusd. lit. ejusdem rei. l. Dudum proximis.  
 14. & ib. Dd. C. de contr. Empt. Jure Feudali Do-  
 minum & vasallum consortes dici notavit Briffonius  
 de V. S. sed eo loco, quem laudat, consortibus ap-  
 plicari feudum dicitur, juxta veriorem interpreta-  
 tionem Magnif. Dn. D. Schragii in Ind. verb. Feud.  
 i. e. uni dominorum; si vasillus communis contra  
 unum Dominorum feloniam fecerit, vel eum refutat  
 verit. Etiam confinium agrorum possessores in-  
 terdum consortes dici reperiuntur: ut apud Fronti-  
 num de limit. agror. s̄aep̄: apud quem consontalis  
 linea inde appellatur, quæ vicinorum agros divi-  
 dit: in libello de Coloniis: Nam sunt termini pro-

*portionales, quos milites inter se veterani posuerunt,  
Et custodiunt lineas confortales.*

IV. *Ganerbios rerum immobilium condominos significare scribit Kyllingerus de Ganerbin.* Disc. I. num. 43, eo quod erb Dominum denotet; *gan* vero idem sit, quod *gemeint, commune*: adducitque in hanc sententiam textus, *Recessum Imperii, Reformationis Francofurtensis, & Juris Saxoniei.* Verum enim vero, si etymologiae insisteret quis velit, *Ganerbii* non tantum rerum immobilium, sed & mobilium condomini erunt; sunt enim hi quoque non minus *domini communes gemeine Erbherren*, quam illi. Si vero usus vocum quotidianus inspiciatur, vix quisquam sub nomine *Ganerbiorum* alios intelliget, quam qui *castrorum condomini* sunt, de quibus totum opus suum conscripsit *Kyllingerus*. Ac de his etiam loquuntur textus produceti in quibus *Ganerbii* nominantur. Nam *Recessus Imperii* qui citantur, nominant dilerte der *Ganerben Schloß. Reformatio Francofurtensis* dum ait, *Wäre es, daß viel eine Behausung oder ander liegend Guth mit einander, als Ganerben, in Gemeinschaft hätten, utitur Formula, als Ganerben, non per modum exegesos, sed per modum similitudinis & comparationis.*

tionis. *Jus Saxonum* vero, quid per Ganerbios intellectum velit, verba ejusdem latis declarant, ait enim: *Bürger oder Burgmann* heissen die *Ganerben und Edelleuth*; so vor Alters unter einem Burgherren, auf einer Burg, gewohnet habent. *Ganerbinatus* itaque *condominium* est: Sed *condominium* s<sup>e</sup>pe *Ganerbinatus* non est: si usum loquendi vigentem virentemque attendere velis, cui non satis consonum fore, credo, si quis Regem Galliæ & Regem Hispaniæ *Ganerbinatum* coluisse diceret; quanquam eosdem olim partium Regni Neapolitani *condominos* fuisse constet.

V. Vis vocis compositæ, ex diversa significacione primogenii nominis haurienda est: nam ut dominium, sic & *condominium*, quod ab illo descendit, non tantum illud jus notat, quo res nostra est: sed adhibetur etiam ad designandum imperium, potestatem, superioritatem civilem; præsertim ab eo tempore, quo *jurisdictio* & superioritas territorialis coepit esse res patrimonialis. Est que adeo *condominium* aliud supremum, aliud vulgare; aliud publicum, aliud privatum; aliud civile, aliud Ecclesiasticum; aliud directum, aliud utile; aliud singulare, aliud universale; aliud totale, aliud partiale; quorum terminorum evolu-

tio

rio ex illis scriptoribus petenda est, qui de Dominio ejusque variis speciebus commentati sunt.

**VI.** Nobis *Condominium* hic est, *daorum pluriumve dominorum concursus, circa rem eandem, in eadem juris specie.*

**VII.** Pater itaque & filius; licet alter re, alter spē Domini sint ejusdem rei, *l. in suis heredibus, 11. ff. de lib. & postb. b.er. inst. condomini non sunt, uti nec maritus & uxor in bonis dotalibus, non obstante pr. f. quib. al. lic. vel non. juncta l. in rebus dotalibus. 30. C. dejur. dot. l. quamvis in bonis. 75. ff. eod. Dominus & Vasallus. Non obstante 2. F. 58. pr. Proprietarius & usufructuarius. Nihil officiente l. ususfructus in multis. 4. ff. de usufruct. cui add. l. recte dicimus. 25. ff. d. V. S. l. Mervius fundum. 66. §. fundo legato. 6. ff. de Leg. 2.*

**VIII.** Per eandem *condominii descriptio-* *nem à condominio excluduntur res jure naturali,* *communes, publicæ, universitatis.* Res *commu-* *nes, quia Dominos non habent;* actu enim sunt nullius, potentia omnium: ideoque cuivis occu-*panti cedunt.* §. & quidem nat. jure. 1. & §. fera igi-*tur. 12. f. de R. D.* Publicæ vero & universitatis ideo, quia populus & universitas in ordine & re-*spectu ad res communiter possellas, non pro dua-*  
bus

bus pluribusve personis, sed pro una habentur : fundaturque hujus unitatis vinculum non in communione rei ; sed in consociatione personali, qua etiam citra concursum ad rem eandem, utrum corpus populi, civitatis, universitatis constituitur. *l. sicut municipium.* 7. §. *sequid. i. ff. quod cuj. univ. nom.*

IX. Qui rem partibus divisis tenent ; *eam-*  
*dem tenere non videntur* ; ideoque proprie lo-  
quendo condomini non sunt. Sed hoc de parti-  
bus corporalibus, & re ipsa separatis intelligen-  
dum est ; partes enim intellectuales non efficiunt,  
ut res hoc modo possessa definat pro indiviso pos-  
sideri. *l. si, ut certo loco.* 5. §. *sicut nobis.* 15. ff. *commod.*  
*l. servus communis.* 5. ff. *de stip. serv.*

X. Itaque si jurisdictio per territoria & re-  
giones dividatur, cessabit condominium : nec pro  
condominis habebuntur heredes, eo casu, quem  
supponit *Speidelius in Spec.* si habeant diversa ca-  
stra & dividant ea quoad jurisdictionem & territo-  
rium. Aliud dicendum, si jurisdictio communis  
maneat ; usus ejus dividatur. *Kylling. de Ganerb.*  
*Disc. 9.*

XI. Sæpe evenit in Germania præsertim  
nostra, ut in eodem territorio alter jus gladii, vel  
jura quædam fisci commodis deservientia ; alter

Exteram superioritatem habeat : licet usus vulgaris vocabuli non abhorreat, ut territorium his commune dicatur : proprietamen & accurate loquendo, hi non magis condomini sunt, quam qui prædii dominum, & qui in prædio servitutes quasdam habent. Ponatur casus, quem *Leipoldus de Concurrentia Jurisdictionis in Imp. Rom. Germ. Quæst.* 12. fingit, ut unius sit die Landesfürstliche Obrigkeit, adeoque habeat ejus vigore die Landes- und Heeresfolge, Erb- und Landeshuldigung, Land-Tag auszuschreiben, Landes- und Conistorial-Ordnungen zu publiciren, Appellation-Rath und Hoffgericht, nebenbei der Regierung und Fürstlichen Landtagen anzuordnen, affixionem mandatorum & editorum in universo territorio, Land- und Franken-Steuer, Rufforderung und Musterung, das Landvolk mit Wehren belegen, Städte, Dorffer und Festung mit Soldaten oder armirtem Landvolk zu besetzen, ponere insignia gentilitia, oder auch talvas guardias affigere an Kirchen, Rath- und Gemeind-Häuser, item an die Stadt- oder Kirchen-Thor und Dorff-Fried, concessionem & confirmationem privilegiorum & immunitatum, jus fisci, Archivi, mutandi religionem pro persona sua, dispensandi, poenas mitigandi

tigandi & remittendi, ordinationes & confirmati-  
ones ministrorum ecclesiæ, Dæssnung der Kirch-  
höf, solennem introitum civitatum & villarum  
provincialium, & similia ; aliis possideat & ha-  
beat des Landes Hoheit und Herrlichkeit ; tertius  
exerceat jus venandi, die Wildbahn ; quartus sibi  
vindicet, die Förstliche Obrigkeit und Förstreht ;  
quintus obtineat die Hohe Fraß und Lenth : Is,  
qui primo loco nominatus est, injuriam sibi fieri  
contendet, si coeteris concursus condominii ad-  
scribatur. Idem sentiendum de ea facti specie,  
quam ex Rosenthalio de Feud. cap. 6. concl. 85. n. 10.  
solent proponere : cum una provincia plurimum  
dominatu ita fatigatur, ut aliis summum imperium,  
alius jurisdictionem simplicem, aliis jus gladii, aliis  
alia jura sibi vindicet.

XII. Quin etsi tanta disparitas non occur-  
rat inter confortes ; sed hic & ille æqualia jura in  
eodem territorio habeant ; nisi tamen in eadem  
juris specie cocurrant ; requisita substantialia con-  
dominii, adeoque significatio ejusdem propria,  
iis accommodari non poterit. Ubitamen caven-  
dum est, ne cum diversis juris speciebus, unius e-  
jusdemque speciei partes, pro indivito exercenda  
permisceantur, qui eam in tali juris specie concur-  
runt ;

runt; licet in partibus singulis separatum quisque  
jus habeat; si tamen usus illarum partium indivi-  
so nexu cohæreat, ii condomini sunt vere proprie-  
que tales.

XIII. Conatus est hæc distincte tradere  
*Andr. Knichen de sublim. terr. Jur. cap. 4. n. 11. §<sup>3</sup>*  
seqq. In alterius, inquit, territorio Principes quan-  
doque exerceant superioritatem, aut subjectionis jure,  
vel minus. Illo casu vel communione quadam cum  
Domino territorii, ut putatis plurimorum Dominorum  
castrum, civitas, pagus &c. zwen, dren, oder vier  
Herrig. Ut subditi eos simul recognoscant in domi-  
nos, idque aut pari, aut dispari jure; nimurum ut  
quædam communia, quadam uni soli competant, vel-  
uti in præminentiam territorii universalis, vel ex  
alio capite. Aut exercetur singulariter, puta in ca-  
stro, villa, pago. Sed ex antecedentibus facile a-  
nimadverti potest, in quo & ipse à permiscendis,  
quæ distingvenda erant, sibi non satis caverit, dum  
nimurum inter species & exempla primaria condon-  
mii retulit, quæ non nisi analogice sub hoc no-  
mine comprehenduntur.

XIV. Ut autem hic concursus condomini-  
um constitutus; jus, circa quod versatur, reale es-  
se oportet, qui itaque in eadem specie juris ad rem  
con-

concurrunt, correi quidem credendi sunt; con-  
domini autem non sunt: nisi tali jure sint correi,  
ex quo realis actio oritur. arg. l. eandem nem 9. pr.  
ff. de duob. reis. non tamen vicissim omnes, qui cir-  
ca eandem speciem juris in re concurrunt, pro con-  
dominis sunt habendi exempl. l. non est novum. 46.  
ff. de Acquir. Rer. Dom. l. possideri autem. 3. §. ex  
contrario. s. ff. de acquir. vel amitt. possess.

XV. Præter concursum igitur in proprietate, de qua notare superfluum est, condominii spe-  
cies sunt, concursus in Emphytensi, l. possessores.  
12. C. de fundis patrim. add. l. i. ff. si ager veſt. l. i. ff.  
de superfic. in usufructu, exempl. l. i pr. ff. de usufr.  
accresc. servitute reali, l. v. i.e. 17 ff. de servitut. non  
obstat. l. pro parte 11. ff. eod. hereditate, l. i. §. quin  
imo. 2. ff. si pars her. pet. feudo, i. F. i. §. cum verb.  
2. ibi. & si communiter acceperint. i. F. 14. §. si duo  
Fratres. 2. i. F. 20. Non obſt. 2. F. 12. Summo im-  
perio. Grot. de Jur. Bell. & Pac. Lib. 1. c. 3. n. 17. &  
seqq. ejusque partibus. Inſtr. Pac. Cef. Svec. art. 8.  
§. gaudeant. atque inter has etiam in potestate circa  
facra. d. Inſtr. Pac. art. 5. paſsim. atque hoc referen-  
dum est jus compatronatus: de q. o annotat Zieg-  
lerus ad tit. 28. lib. 1. Inſtr. Jur. Can. §. 3. & 7. quod  
sit jus individuum, neque distribuatur secundum

portiones hæreditarias : ita ut etiam qui plus contribut in dotatione, nihilo tamen plus de jure patronatus acquirat, quam qui minus.

XVI. Concursus porto intelligitur cumulativus, non alternativus, cui consequens est, ut judices concurrentes, non sint condomini. Ubienim est concurrens Jurisdictio, ibi preventio locum habet, cuius haec vis est ut per eam consolideatur jurisdictio tam judicis, quam partium : ita ut qui parem jurisdictionem habet, eam impedire nequeat ; sed ubi inchoatum, ibi quoque finendum sit judicium. *l. si quis, postea quan. 7. l. ubi acceptum. 30. ff. de judic. Gail. Obs. lib. 1. obs. 29. n. 5. Paupermeist. de Jurisdict. lib. 2. cap. 6. n. 319. Et seqq.*

XVII. Aliud de sociis judicibus dicendum, si tamen suo nomine jus dicant, nam qui alieno nomine delegatam jurisdictionem exercent, pro condominis haberi nequeunt : licet exercendi condomini modus, & exerciti effectus nonnulli in iis ocurrant. De qua re prolixè agit Leipoldus in explicatione questionis : *An & quando plures commissarii habeant jurisdictionem, ut universi vel ut singuli & concurrant in ea? De Concurr. Jurisd. Q. 17. ap. Arum. de Jur. Publ. vol 1. Disc. 13.*

XVIII. Formalem condominii rationem in

co

eo constituant Dd. ut unusquisque condomino-  
rum, jus, in quo concurrent, habeat in solidum,  
idque in Disputatione contra Bartolum admittit  
etiam Speidelius, Spec. voc. gemeine Herrschafft,  
applicatque ad Ganerbios castrorum Kyllinger. de  
Ganerb. disc. 6. sed hoc ita accipiendum est, ut soli-  
dum opponatur partibus corporalibus; non ve-  
ro partibus intellectualibus, quoad has enim veris-  
simum est Gylmanni monitum tom. 4. Symp. part.  
1. n. 47. p. 37. rei ejusdem duorum esse simul, & in  
solidum Dominium, nec naturam pati nec leges.  
vid. l. si ut certo loco s. §. 15. ff. coxamod. l. posideri  
autem. 3. §. è contrario. s. ff. de Acquir. vel Amit.  
possess. quo etiam tendit Kyllingeri conciliatio dicto  
Disc. 6. n. 16. scribentis: *in solidum concedere ita*  
*intelligunt Dd. non ut omnes condomini totum ca-*  
*strum; sed ut pro indiviso invicem posideant: si-*  
*cuit in rebus individuis est receptum. l. servus comuni-*  
*nis. s. ff. de stip. serv. verbo sc. in solidum, improprie-*  
*& abusive sumpto. conf. l. duo in solidum. 19. ff. de*  
*precar. l. de hæreditate. §. pater peculii. 3. ff. de Ca-*  
*stren. pecul. Non obstat l. si Duo posideant. 3. pr. ff.*  
*uti posid. l. & habet summam 15. §. eum qui preca-*  
*rio. 4. ff. de precar.*

XIX. Fiunt condomini I. Acquisitione com-  
muni

muni rei, quæ antea neutrius ex condominis fuit.  
 II. Communicatione rerum vel ad alterutrum con-  
 dominorum 'olum, vel ad utrumque seorsim, an-  
 tea pertinentium. Utrumque vel cum contractu  
 societatis, vel sine illo. I. ut si pro socio. 31. & seqq. ff.  
 pro soc.

XX. Ad priorem illum constituendi con-  
 dominii modum referri debet, si res jure naturali  
 communis, à duobus conjuncta opera ita occupa-  
 ta fuerit, ut dilcerni non possit, uter primus pos-  
 sessionem ejus apprehenderit. arg. I. i. §. dominium-  
 que rerum. i. ff. de acquir. vel amitt. poss. Si insula  
 in flumine inter duo prædia arcifinia, ita nata sit ut  
 medium partem fluminis teneat. I. inter eos. 29. I.  
 ergo si. 30. I. insula est enata. 56. ff. de A. R. D. I. i. §. si  
 insula in publico 6. ff. de Flum. Addit Kyllingerus  
 de Ganerb. Disc. 5. si idem castrum duobus simul le-  
 gatum sit, aut à pluribus simul emptum, aut si hæ-  
 reditate vel donatione communiter obvenerit: a-  
 itemque si de uno castro plures investiantur vasalli.  
 I. ut si pro socio. 31. ff. pro soc. t. t. ff. & C. comm. div.

XXI. Ac de cæteris quidem res expedita est,  
 possentque addi quam plures modi alii. De in-  
 vestitura annotare opera pretium videtur: hodie  
 in investitura simultanea hanc vim non esse, ut con-  
 domi-

dominos efficiat, qui simultaneè investiuntur.  
Nisi de condominio potentiali quis loqui velit:  
fundato in jure succedendi; quod tribuit & con-  
servat investitura simultanea. Hartm. Pistor. Quæst.  
Jur. lib. 2. p. 2. quæst. 20. & seqq. sicubi aliter obti-  
net, id non investituræ simultaneæ; sed alii cui-  
dam speciali provisioni tribuendum est. Exem-  
plum illustris controversiæ circa hanc rem exhibet  
*Limnaeus Add. ad J. P. tom. 1. ad lib. 5. cap. 4.*

XXII. Alter modus condominiū constitu-  
endi generalis cernitur in confusione materialium  
voluntate dominorum sicut et. §. 6. duorum materiae.  
27. & §. quod si frumentum. 28. J. de Rerum div. l.  
Idem Pomponius. 5. pr. & §. 1. ff. de Rei vind. in illa-  
tione pecuniae reive in societatem. l. 1. §. 1. & ll.  
seqq. ff. pro soc. Non obstat. l. se tibi rem. 13. §. Juli-  
anus. 1. ff. prescr. verb. quod tamen intelligi debet  
cum restrictione Gailii Obs. præf. lib. 2. obs. 24. n.  
6. Addita distinctione Grotiana de Jure belli lib.  
2. c. 12. n. 24. in communicatione lucri & proven-  
tuum ex re communi. l. coiri societatem. 7. ff. pro  
socio.

XXIII. An in præscriptione quoque? uti-  
que si res talis cuius dominium præscriptione ac-  
quiri potest; poterit ejusdem & condominium.

C

Quæ

Quæ quæstio præcipue agitatur in præscriptione Jurisdictionis & Imperii : in quibus concursum condominalem lapsu temporis constitui, in Germania nostra longe facilius potest circa eos calus, qui ad condominium proprieta dictum spectant; quam circa illos, quos format Leipoldus de Concurr. Jurisd. quæst. 2. p. 221. Fundamenta distinguendi, quæ alias circa hanc rem confundi solent, fuggerit Ludolphus Hugo de statu Region. Germanie cap. 6. tb. 23. & seqq. Regulam vero cautionis & prudentia habet, quod scribitur in Addit. ad Beſoldi Thes. pract. voc. Dorff: Wo vermengte Unterthanen seind, da hat die Herrſchafft wohl nach zu fragen, wie es vor Alteſ der Gemein-Herrſchafft wegen gehalten worden. Ich weiß einen Orth, da alle Eigenherrſchafften dos Gemein-Recht zugleich gehabt. Aus Verwahelosung der einschichtigen Herrſchafften, ist der Pari potentior zugefahren, da etliche in lang ob geleginem Dorff aufzubauen angefangen, hat jährlich 30. Gemein-Heller von denselben erfordert, und ehe dieselbe wegen wenig Heller zu ihrer Herrſchafft weit gellossen, ehe haben sie solche bezahlet. Durch dieſ Mittel ist Pari potentior allgemein zur Gemein-Herrſchafft kommen, also daß nun mehr

mehr ohne Erlaubniß keiner einen Geißelstockt,  
Leiterbaum oder vergleichen schneiden und ab-  
hauen darf.

XXIV. Modos acquirendi condominii antecedunt interdum, interdum comitantur tum alii legitimi juris tituli, tum pactiones & conventiones variae; juratae & non juratae; de iis communiter vid. *Betsius de pact. Famil. illustr. cap. 4. § 5.* Formula tales fere occurunt: Habent wir N. N. uns freundlich und gutwillig für uns und alle unsere Erben geeint, das unser beyder und unser Erben gemein &c. Und unser jeglicher als viel daran haben soll, als der ander, ohn allen Vortheil &c. inter condominos castrorum leges istae, statuta, & conventiones de pace in castro tenenda initae vocantur Burgfrieden: notante, post *Fichardum, Kyllinger de Ganerb. disc. 3. §. 57.* qui & de jurementis, ad hujusmodi pacta adjici solitis, adeundus est.

XXV. Debet autem paciscentibus, tum in pactionibus de condominio & circa illud ineundi, tum in ipso exercitio condominii, honestas proposita esse. *I. quod autem. 53. ff. pro soc. ubi delictorum, turpis atque fæda communio esse, dicitur. I. nec prætermittendum. 57. ff. eod. in qua generaliter*

traditur, rerum in honestarum nullam esse societatem. quibus regulis superstruuntur, quae in recessibus Imperii nostri contra abusum der Ganerben Schlosser constituta reperiuntur; veluti in Constitutione de pace publica Angustæ promulgata 1500 art. 9. in der Ordnung des Landfriedens zu Worms 152. art. 12. Add. Kylling. de Ganerbin. Disc. 5. §. 7.

XXVI. Ex eo, quod supra traditum est, unicuique condominorum jus in solidum circa rem in condominio positam competere, obicem ponere fas erit contentionibus scriptorum de usu condomini communi, vel non communi, cum e. g. disputant, an unus ex condominis in communi territorio, solus jurisdictionem exercere possit, vel an omnes conjunctim id facere debeant: apud Speidel. in Spec. voc. gemeine Herrschafft. eo ipso enim, quod domini circa communem jurisdictionem concurrunt pro partitus indivisis: platum est & apertum, alterum non consentiente altero nihil in re communi facere posse. 1. Sabinus. 28 ff. comm. divid. non ea ratione quam Besoldus assert in Thes. pract. voc. Zwey-Herrige Herrschafft; quia pars in parem non habet imperium. Sed quia facultas pluribus condominis ipsa condomini constitut-

sitione communicata, neque integra est, nisi ab omnibus condominis exerceatur simul; neque validos effectus producere potest, nisi integras.

**XXVII.** Concurrunt autem condomini, in condominio exercendo, consensu: I. vel antecedente, vel comitante, vel consequente. II. Consensu vel generali, vel speciali. III. Consensu vel vero, vel presumpto. De consensu comitante, speciali, & vero admonere superfluum fuerit. Antecedente consensu concurrit condominus ad singulos actus, quos condominorum alter tempore administrationis sua facit, si voluntate utriusque constitutum sit, ut alternis annis rem communem administrarent: ein Jahr um das andere: quem tamen modum administrandi condomini varis incommodis subjectum, vere notat *Peguera apud Besoldum d. loc.*

**XXVIII.** *Consequente* consensu concurrit condominus, si rati habeat ea, quæ à condominio suo gesta sunt: hoc enim casu, perinde ut in aliis quamplurimis, retrotrahi rati habitationem existimo, & confirmare ea, quæ ab initio subsecuta fuerant. *I. ult. C. ad Senatusconf. Macedon.*

**XXIX.** Consensus generalis exerit se in eo casu, quo condomini communi consensu admini-

stratorem rei communis constituant: velut in jurisdictione exercenda judicem, adfessores, scribas, ministros alios, qui Dominorum nomine justitiam subditis administrant. *Besold. d. loc.* horum munus est, ut omnia coniunctim & ex aequo peragant, omnes redditus, mulctas, ac alia Jurisdictionalia commoda consignent, & de omnibus reddant condominis rationem communiter. *Speidel. loc. cit.*  
*& in voc. Ganerbett. §. ceterum.*

XXX. Consensu presumto superstruitur jus majoris partis, cui in condominio inter plures communiter exercendo locus est. *l. aliud est. 160. §. refertur. 1. ff. de R. I. add. Grot. de J. B. Lib. 2. cap. 5. n. 17.* itemque cura utilitatis communis, in tuenda, defendenda, conservanda re in condominio constituta. *l. si quis putans. 6. §. ult. ff. comm. div.* quamquam hæc quidem pactis interdum lanciri etiam declararique solent; sequenti plerunque formula: *Wir sollen und wollen die obgenannte Gemeinschaft, unser jeglicher nach allem Vermögen, unvertheiligt, als ob es einig sein wäre, getreulich schützen, schirmen, versprechen, und verantworten, und allen unseren Amtleuthen, das also auf die Pflicht, damit sie uns gewand seynd, Befehlen zu thun, &c.* In quem usum in literis condon-

mi-

minum Serenissimæ cuiusdam Familiaे continentibus, quas singulari gratia inspicere mihi indulsum est, subsiuntur porro sequentia: Item, wir han uns auch sonderlich des Puncten vereint, was uns nachmahlen fürsalten und begeben würde, uns an der Enden nützlich und gut fürgenommen seye, das soll unser einer dem andern zu wissen thun, und dann zusammen kommen oder schicken, mit Macht das für zu nehmen, und was also durch die unserren fürgenommen würdet uns zu gut; wollen wir auch halten.

XXXI. Ad antecedentia capita facile erit referre varios modos administrandi conjunctim vel separatim; per se vel per alios, condominii, ut non sit necesse tot limitationibus regulam supra positam frangere; veluti, quod usus jurisdictionis sit dividuus inter heredes in alternas vices: quod dividi possit jurisdictione quoad commoditatem: quod dividi possit jurisdictione per territoria & regiones: quod assignari possit uni per adjudicationem. Posteriores enim hæ limitationes tollunt penitus condominium: priores declarant, non limitant, conf. Kylling. de Ganerb. Disc. 8.

XXXII. Ex his intelligi judicari que possunt effectus condominii; annotabimus tamen quædam,

dam, pro instituti nostri modo, seorsim. Condominium in re causave communi jus prohibendi habere docet citata l. *Sabinus.* 28. ff. *comm. div.* ex qua patet insuper, prohibentis conditionem potiorem esse, si expresse dissentiat. *add. l. si quis putans.*  
*6. §. si quis 6. ff. eod.* Nec obſt. *l. sunt personæ.* 43. ff. *de relig.* & *Sumpt. fun.* idque verum esse puto, si-  
 ve duo tantum, sive plures sint condomini. Si  
 condominium ita constitutum sit, ut omnes con-  
 sentire oporteat, vel alias jus majoris partis sit ex-  
 clusum. vid. *Inſtr. Pac. Cœf. Svec.* art. 5. §. 19. conf.  
*Linn. de I. P. IX. 1. 176.* *Arum. de Comit.* c. 8. n. 47.  
 & seqq. Ubi id exclusum non est, contra diſſen-  
 tientem eatenus valet, ut res à majori parte decisa  
 expediatur, non attento diſſensu unius alteriusve ;  
 ne tamen contradicenti nocere vel præjudicium  
 parere possit, matura protestatione efficitur. At-  
 que hinc explicanda Formula instructionis officiali  
 data in Thür-Pfälzischem Gründlichem Gegen-  
 Bericht auf den Fürstlichen Hessischen gründli-  
 chen Bericht in Act. Controv. der Gemeinschaft  
 Umbstatt. pag. 46. sollest du es bey einer Protesta-  
 tion bewenden lassen. Add. ad hanc theſia univer-  
 sam. *Ant. Fab. Cod. Lib. 3. tit. 26. def. 5. n. 6.* & 7.  
*Covarruv. Quæſt. Pract. 40.* *Kylling. de Ganerb.*  
*Disc. 8.* XXXIII.

XXXIII. Irrationabiliter tamen dissensio-  
tem ad consensum rationemque compelli posse,  
vel dissensum ejus effectu privari, non dubitave-  
rim, ubi condomini superiorem agnoscunt. Ubi  
vero ipsi inter se pares sunt, & superiorem non ha-  
bent, exitus rei ab amicabili tractatu potissimum  
expectandus est: cui intervenire svadendo, ro-  
gandoque etiam subditi poterunt. Ut autem sub-  
diti condominos cogant ad concordiam; civilis  
obsequii ratio neutiquam admittit, cuius gloriam,  
in casu, quo domini jure pares contraria præcipi-  
unt, prudens & circumspecta cautio potius, quam  
abruptum judicium tueri censenda est. Nisi alter-  
utrius præcepti evidens & proflus manifesta ini-  
quitas sit. Scio aliter hic incedere *Besoldum in*  
*Theſ. Pract. loc. cit. Speidelium in Spec. pag. 461.* &  
*462.* & quos illi sequuntur. Sed mihi sententia  
meæ ratio constat.

XXXIV. Circa effectus condominii præ-  
terea, trita in Imperio nostro quæstio est: Si duo  
diversarum Religionum, unius tamen territorii ex  
æquo condomini sint, an hoc casu quilibet publicum  
religionis sue exercitium ibidem instituere posse?  
Definitionem, generalem suppeditare videntur  
verba *Instrumenti Pac. Cœf. Svec. art. 5. §. 14.* In

*iis locis ubi Catholici & Augustanae Confessionis Status, ex aequo, jure Superioritatis fruuntur, tam ratione publici exercitii, quam aliarum rerum Religionem concernentium, idem status maneat, qui fuit anno dieque supra dictis. (c. i. Jan. 1624.) Sed difficultas insignis oritur ex art. 5. §. 2. de restituendis ex capite amnestiae: disponitur enim ibi: terminum anni 1624. nullum prejudicium creare debere iis, qui ex capite amnestiae aut aliunde restituendi veniunt.*  
*Relata est controversia hinc exorta, per dictaturam ad Comitia Ratisbonensia 29. Jul. an. 1653. an autem aliquid de ea definitum, mihi non constat: itaque tutius existimo, vel requirere statuum resolutionem, si data sit, vel expectare, si data non sit. vid. omnino VIIib. Ignat. Schüzii Manuale Pacis-  
cum. Quest. 16.*

XXXV. Ex effectibus condominii quoque responsiones petendas esse, multi putant, cum quæritur: *Si patronus unius religionis presentet suæ religionis ministrum sive pastorem; an collator alteri religioni addictus eum instituere teneatur? itemque: si unius religionis patronus, in ditione domini alterius religionis, id faciat?* *Si Patronus iste, prater jus Patronatus etiam merum Imperium, vel jus filialitatis; hacque vel separatim vel conjunctim habeat?*  
 Modus

Modus definiendi has similesque alias quæstiones, ante Instrumentum Pacis intricatior fuit: idoneas tamen rationes decidendi suggesserunt Cranius de Pae. Relig. Problem. 9. Syring. de Pac. Relig. tb. 44. Idemque sub nomine Justi Springeri de Pac. Relig. cap. 11. C. B. in consilio de jure Patronatus & presen- tandi: item von Illialett und andern Dubiis, den Religion-Frieden betreffend: apud Lehmannum Act. Pac. Rel. part. ult. cap. 49. post. Instrumentum Pacis expeditior est: ob dispositionem artic. 5. §. 14. Ab hoc vero loco aliena hæc esse, ex supra dictis colligi potest.

XXXVI. In profanis, si territorium in con- dominio sit, cui jus suffragii ferendi in Comitiis Imperii annexum est; ipsum quoque suffragium communi nomine ferri, consentaneum est. Sæpe tamen contingit, ut territorio diviso votum tamen comitiale commune maneat. Illius exemplum præbuit votum Hennebergicum. Hujus speci- men exhibuit idem votum Hennebergicum, post divisam ditionem: tum votum Isenacense. vid. Subscriptio Recess. Imperii de A. 1654. ibi: Des Gesammiten Chur- und Fürstl. Hauses Sachsen, wegen der gesursteten Grafschafft Henneberg. Add. Recess. zwischen denen Fürstl. Häusern Go-

D 2

tha

tha und Weimar, wegen der Altenburgis. Succession A. 1672. ibi : Nachdem auch anhero wir allerseits auf Reichs- und Kraß-Tagen, wegen des Fürstenthums Eisenach, dessen Aemter wir Herzog Ernst in hiebevorigen Landes-Theilungen zur Helfste erlangt, ein Fürstlich Votum mit einander zu commun geführet.

XXXVII. Ubi Legislatoria potestas communis est; ibi non juris, sed dignitatis tantum prerogativam habet, si unus edicta tantum subscriptat. Adeoque statuto vel legi communiter latet; etiam si unius tantum nomine promulgata sit, unus derogare non potest. *Fulv. Pacian. tr. de Probat. lib. 2. cap. 36. n. 25.*

XXXVIII. In jurisdictione communi ; si uni condominorum, quidam è subditis soli quid beat; vel si soli injuriam intulerit, lunt qui docent, à solo condominio creditore, vel offendio, jurisdictionem exerceri ; & ex capite offendis, multam solius offensi commodo cedere debere : mihi contra videtur quod ad jurisdictionem attinet; si enim à regula recedendum sit, quæ communem causam communiter tractari jubet; in eam potius partem eundum erit, ut dominus creditor, vell laetus in sua caula, jus non dicat. *I. qui jurisdictione*

ditioni. 10. ff. de jurisd. sed condomino judicium relinquat ; quod eo applicat Steph. de Jurisd. Lib. 2. cap. 2. ut contendat, si duo habeant jurisdictionem communem in loco aliquo, & aliquis ex alterius familia in illo delinquat, eum ab altero puniri debere. Add. l. Senatusconsulto. 16. ff. de Off. præf. de mulæ commodo, ita lentio : pœnam injuriæ civilem condomino lauso cedere, tanquam parti : criminalem vero, utpote fisco applicandam, utrique reddi communem ; de qua distinctione consulatur *Magnificus Juridice Facultatis Antecessor, Preceptor meus meritissimus Dn. Rebmannus in Hoengeget. Jur. p. 653.*

XXXIX. Cæterum universe definiendo, in territoriis condominio subiectis & dictari communiter mulæ debent, & commoda illarum sunt communicanda : quod postremum pactis peculiariibus eo extendi solet, ut si altero condomino officium non faciente, alter solus muletam dicteret, mulæ nihilominus æqualiter dividatur inter condominos, ita diserte definitur im Beinheimischen Entscheid die Hinter-Grasshaft Sponheim hætressend, de Anno 1425. quo Johannes Sponhemiaæ Comes successoribus suis leges scripsit, eosque ad illarum observantiam jurato adstrinxit, his verbis :

D 3

Wære

Wäre es auch, daß einiger Burger, Dieter oder  
Ihre Knechte, arme Leuthe oder Hindersassen  
der vorgenannten unserer Burg, Schloß, Stät-  
te, Thälere und Dörffer mit Ihren Zugehörun-  
gen ichts thätent, oder darin verbrechent, oder  
gegen ihren Amt-Luthen das nicht thätent, was  
sie thun solten; wie und in welchen Weges wäre  
oder geschehen mögte, und sich auch in der Wahr-  
heit und kündlich funde, da sollen die ehegenannt-  
ten unsere Vettern oder Ihre obgenannten Erben  
samtlich straffen, welcher aber Ihme das niten  
wollte, so soll und mag der ander sein Mitgemei-  
ner oder Ihre vorgeschriebene Erben, des Moge  
und Macht han zu straffen, als ihne tutket, daß  
es gleich, redlich und billig seye, und solche Theil  
der Straffung, was davon gefällt von Bussen je  
einer dem andern theilen, und halb daran geben  
solle, ohne alle Gefahrde.

XL. Vicissim naturae condominii conveni-  
ens est, ut remissio poenæ ab omnibus condominis  
fiat. *Amt. Fab. Cod. Lib. 3. tit. 26. def. 5. n. 7.* Hancque  
secuti sunt Serenissimi compacifcentes in literis su-  
pra citatis: Deßgleichen ob hohe oder kleine Frevel  
verbrochen würden/ soll sich unser keiner insonderheit  
annehmen/ Gnad oder Ablassen zu thun/ sonderis  
das auff den Amtsleuthen siehen/ und sie das han-  
delen lassen. Si tamen unus è condominis remissio  
nem

nem faciat ; tum si poena sit dividua, uti est mulcta pecuniaria, pro sua tantum parte remisisse videbitur, vid. Bocer. de Jurisd. cap. 8. n. 18. Si est individua, & agatur de absolutione rei, & mitigatione poenae, antequam dictata est ; tum in pari causa absolvientis, vel mitigantis conditio potior est. l. interpretatione. 42. ff. de pœn. l. factum cuique. 155. §. in pœnalibus. 20 ff. de R. J. add. arg. l. Arrianus 47. ff. de Obl. & Act. non obst. l. i. §. quorum. 4. ad SCt. Turpil. cum qua conf. l. perspicendum est. n. l. bodie licet. 12. ff. de pœn. Si vero agatur de remissione poenae communi jure consensu statutæ, & determinatae judiciali sententia ; tum alterum sine altero nihil efficaciter mutare posse, verius est : per superius traditæ.

XLI. De actionibus inter condominos reddi solitis, hoc referre, quæ in jure Iustinianeo & à Doctoribus sub tit. Digest. & Cod. Comm. divid. & profec. traduntur, instituti temporisque mei modus non sinit: In Imperio nostro Pax publica, & Wespibatca saluberrimo proposito inhibuerunt viam facti, cuius loco in Camera inter condominos & contra turbatores condominorum vigent mandata sine clausula, & de cætero, cum de foro competente disputatur, non tam respi-ciendum est, ubi extraneus à condominiis convenitus forum sortiatur ; quam ubi condomini inter se litigantes, ratione litium è condominio ortarum. Anton. de Ripoll. var. resol. cap. i. n. 16. Add. Besoldi. Thesaur. pract. pag. 314. n. 46. Speid. Spec. voc. Ganerben p. 414. 5<sup>o</sup> voc. Gemein-Herrschafft p. 161.

XLII. Condominium, præter rerum communium interitum, l. verum est. 63. §. f. ff. profec. alios- que

que modos vulgatos, tollitur, vel divisione rei, si di-  
vidi possit, vel adjudicatione, si dividiri nequeat, §. ea-  
dem interveniunt. 5. *J. de off. Jud.* idque vel utriusque  
voluntate; vel altero volente à condominio rece-  
dere, altero nolente. 1. ult. *C. Comm. div.* Non obſt.  
§. ſicut initio, *C. de Obl. & Aet.* Nec impedit dissolu-  
tionem, pactum antea interpoſitum, de non dividenda  
re communi. 1. in hoc iudicium. 4. §. ſi converiat. 2. ff. comm.  
*div.* vel ſententia arbitri intervenerit de non dividen-  
da Societate. *Schneidew. de aet. comm. div. n. 18.* vel tan-  
tum temporis efluxerit, quod alias ad præscriptio-  
nem ſufficit. *Cravett. Conf. 60.* vel testamento prohibi-  
ta ſit diviſio. *Vivius decis. Neapolit. 294.* Consilia & cau-  
telas, in diſſolutione condominii, ad conservatio-  
nem bonorum & familiarum Illuſtrium eximie fa-  
cientes, ſuppediat *Betsius de Paet. Fam. Illuſtr. c. 4.* ubi  
& de jure protimiseos notatu digna, & ad hoc argu-  
mentum applicatiuſ faciliā occurruunt. Atque iſta, de  
*Jure Condominii*, hac vice, non tam explicaffe, quam  
attigiffē ſufficiat. Non enim Commentarium ſcri-  
bere, ſed facultate, ab Ampl. JCtor. Collegio impe-  
trata, de argumento Jurid. inauguraliter differendi,  
reverenter uti, animus fuit, ad quod, niſi fallor, ſatis  
copiosa materia & occasio his pagellis præbetur.  
Eſt enim hoc argumentum in principiis controver-  
ſiarum profundissimum, in varietate caſuum am-  
pliſſimum, in caſuarum tractatu intricateſſimum, eo  
minus plenam ejus elaborationem quisquam à me  
exiget: qui nihil aliud, quam Positiones  
promiſi.

SOLI DEO GLORIA.





Strassburg, Diss., 1680-84

X 2284278

KD 17





57  
1680 46  
5

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IURIDICA  
DE  
**IVRE CONDOMINII,**  
GERMANIS:  
Von dem Recht der Mitherrschaft und desselben Geissel-  
ses / sowol bey denen die Geistlichen angehenden als auch  
in allen andern politischen Vorfallenheiten.  
Q V A M  
IN CELEB. UNIVERSITATE ARGENTORATENSI  
PRO  
DIGNITATE DOCTORALI  
OBTINENDA  
DIE MENS. AVG. A. CIO C CLXXX.  
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBIICIT  
**IO. FRIDERICVS TRIER,**  
MEININGA - HENNEBERGICVS.



IENAE,  
REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1748.